



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Anno M.D.LXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

ipse esset solitus per æstatem ad visenda Societas Collegia proficiisci, eamque vacationem satis constaret nihil admodum Augustanis rebus incommodare, posse interuallum, & intercapidinem illam in Tridētinam commorationē transferri. Hæc ita cum Tridenti stetissent, eadem Cardinalis Hosius ad Cardinalem Augustanum prescrīpsit in Vrbem, rogans ne moram in illud tempus obiectare vellet. Quibus literis per has ad verbum Augustanus respondit.

**D**Eliberatio vestra de accersendo Patre Canisio non paruam dubitationem habet: pieque, ac sapienter veriti estis, ne, si Tridentum is euocetur, magnam in eius discessu iacturam faciat non solum Augustana Ciuitas, sed & illæ lesuitarum sodalitates, quæ sunt in Germania, quibus is operam dat pro Magistro Societatis: & multi præterea mortales, quos partim presentia sua tuetur, partim reducit in viam. Quæ etiam fuit causa Collegio Augustanorum Canonicorum, cupiente Cæsare ipsum Canisium Legatum de Concilio Tridentum mittere, repugnandi, vehementerq; obsistendi, ne inde moueretur. Eadem meratio de sententia deduxit, cum hominē istò venire mea causa peruellem: quod postea

Cardinalis  
Augustani llo-  
tera. Quomodo  
ad Concilium  
Canisius ve-  
candus.